

DE *ITAQUE* PRO *ITA* USU

Arguments in favour of the usage of *itaque* instead of *ita* in low Latinity.

In nostra nuper edita breui adnotatione¹ de loco opusculi incerti auctoris, quod dicitur *Didascalia apostolorum*, cap. 2, 11 castigando iuxta abundans -que particulis scilicet *ideo*, *utinam*, *iam...* adiectum, *itaque* pro *ita* in infima latinitate aduerbialiter adhibitum sane probauimus, quod numquam ante a studiosis praeter cunctantem Szantyr² ullo testimonio ualde conlato testatum constat. duos enim locos qui et talem dicendi usum concederent et loci nostri emendationem confirmarent, afferemus, unum e Luciferi Calaritani *Moriundum esse* opusculo cap. I (p. 285 Hartel): *ut enim uos negando filium dei domos esse inmundi spiritus uocibus prophetarum, apostolorum atque sacrorum euangeliorum designamini, itaque³ filium dei confitemur, templa dei esse ostendimus, alterum e Vita S. Germani Venantio Fortunato presbytero, ut uidetur⁴, adscripta, 44, 123 (p. 21 Krusch): eadem quoque die tacta uestis nobilis quasi impetus fluminis, itaque quartanae febris ignis omnis extinctus est. quo pro comperto Didascaliae textum sic legendum protulimus⁵: una lex est simplex, uera, sine quaestione Christianis constituta, itaque: quod tibi fieri ab alio non uis, tu alio ne feceris. et iam erat sub prelo nostrum commentariolum, cum ad nos Luciferi Calaritani noua operum editio a G. F. Diercks accuratissime parata⁶ per-*

¹ «Itaque en lloc de *ita* en *llati tarda*» in *Faventia* 1, 2, 1979, pp. 207-210.

² Apud *Syntax und Stilistik* (Hb. II 2, 2, München 1972), p. 476 legitur: «*itaque* = *ita* unsicher *Didasc.* apost. 2, 11».

³ *itaque* cum mss. et Tiliiana principe in nostra editione iam sub prelo, quamuis Coleti Hartel Diercks *ita qui* malunt.

⁴ uide Gregorii Turonensis Historiam Francorum 5, 8 ab Arndt editam.

⁵ de editoribus hunc locum uarie interpretantibus uide op. cit. in nota 1, pp. 207-208.

⁶ *Luciferi Calaritani opera quae supersunt*, CC 8, Turnholti 1978.

uenit, cuius Index uerborum nobis aliud testimonium de particulae
itaque pro ita usu praebuit, e libro primo De Athanasio cap. XXXIV
(u. 38 Diercks) excerptum: *cum haec itaque sint, temet punire conspice.*

LAMBERTO FERRERES